COMMENTARIOLI PRACTICI IN COACAS PRAENOTIONES HIPPOCRATIS

PENSVM III.

QVO

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQVE
MEDICINAE CANDIDATI

HILMARI ADOLPHI LVDOVICI
GIESECKEN

BOECKENDORFFIO PADERBORNENSIS

D. XVI. OCT. MDCCLII.

HABENDAM INDICIT




ORDINIS MEDICI PRODECANVS

IO. GOTHOFR. BRENDEL

D. P. P. O.

GOTTINGAE,
EX OFFICINA HAGERIANA.





COMMENTARIOLI PRACTICI
IN COACAS HIPPOCRATIS
PRAENOTIONES
PENSVM III.

9) Ἀι ἐκ νώτȣ φρίκαι πυκναὶ, καὶ ὀξέως μεταπίπτȣσαι, δύσφοροι, ȣ̓̃ρȣ γὰρ ἀπόληψιν, καὶ ἐπώδυνον, σημαίνȣσι. Τὸ ἐφιδρȣ̃ν τȣ́τοισι κάκιϛον.

Ex dorso horrores crebri & celeriter transeuntes, difficiles: vrinae enim interceptionem dolorificam significant. His sudores leues & fugitiui; vel qui circa superiora saltem fiunt, pessimi.

Multos Coacarum locos aliis in HIPPOCRATICIS libris, iterum tertiumue legi, abunde constat. Hic ipse, optimis collatis editionibus, Aldinaque, talis exhibetur alibi (a): Ἐκ νώτȣ πυκνῇσι καὶ λεπτῇσι φρίκῃσιν ἐφιδρȣ̃ντες, δύσφοροι, ȣ̓̃ρȣ γὰρ ἀπόληψιν ἐπώδυνον σημαίνει. Talisque rursus (b): Ἀι ἐκ νώτȣ φρίκαι πύκναι, καὶ ὀξέως μεταπίπτȣσαι, δύσφοροι, ȣ̓̃ρȣ γὰρ ἀπόληψιν ἐπώδυνον σημαίνȣσι. Etsi dysurias alioquin omnes, vndecunque subortas, experientia teste, aut antecedat aut comitetur algor aliquis, isque ex dorso vel lumbis procedere visus, si grauior causa fuerit: hic tamen locus referendus ad symptomaticas istas, quae in ipsa inprimis initia febrium malignarum & exanthematicarum, omine omnino pessimo, incidere solent. Ἐφιδρȣ̃ν HIPPOCRATI designat & leues fugitiuos-

(a) *Coac I. 1. 69. Lind.* (b) *Prorrhet. I. 10.*

quosque sudores, summa corporis quasi perstringere visos: & qui superioribus saltem sese efferunt, capillitio scilicet, facie, collo, ceruice, quin dorso. Sudorum vtrumque genus in malignarum obseruatur protinus initiis. Haec adeo, coniuncta cum horroribus istis, ex dorso lumbisque incipientibus, non sine doloribus τονώδεσι, atque sudores memoratos inter, admonent, vt ad dysurias istas, difficillimi morbi indices, prognoseos ergo attendamus. Verissime in hanc sententiam AETIVS (c): *In initiis pessimarum febrium & hoc sese effert symptoma, vt ipsa doleat vesica, & vrina per interualla breuia prodeat, cumque dolore. Neque saltem molestum id est, sed signum etiam, vniuersum esse affectum neruorum systema.*

10) Ῥῖγος ἐν συνεχεῖ, τῦ σώματος ἀσθενέος ἤδη ἐόντος, θανάσιμον.

Rigor in febre continua, corpore iam exhausto, letalis.

Continuos durabilioresque rigores, ξυνεχέα ῥῖγεα, *in acutis malos* postea dicit. Hic vero ῥῖγος ἐν συνεχεῖ esse rigorem in febre continua, alius asserere locus potest (d): ἢν ῥῖγος ἐπιπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον. Scilicet in febres acutas difficilioris criseos, quales sunt omnes acutae in corporibus dudum cacochymicis, omnes item malignae phrenitidesque, exanthematicae tandem nonnullae, sub ipso quidem vigore morbi, attrito iam corpore, saepe videmus incidere rigorem, qui febris nouae initium foret, aut per abscessum, aut succedentem febrem exanthematicam, aut aliis denique modis, difficili crisi prioris febris subuenturae, nisi vis vitae vindiciis his succenturiatis impar iam esset. Id maxime contingit in illis acutis, quae limites ordinarios egressae, syrma potius quoddam plurium acutarum sunt, quarum altera alteram consecuta est. Talia exempla in *Epidemiis* leguntur.

(c) *Lib. V. 137.* (d) *Aph. V. 46.*

Neque febres continuas longas excepero, vt satis docent rigores phthisicorum, cum vicinior iam mors est: prodromi quidem isti accessurae febris acutioris, quae finem vitae afferet. Sed alius ille rigor est, qui compluribus (e) HIPPOCRATICIS locis, *causum* dicitur *soluere*. De hoc, ne diuortia commentatorum experiamur, strictim hic saltem quaedam submonenda. Causus est omnis febris acuta ardentior & aestuosior, quorsum & pleuritides referemus. Non adeo hic intelligendae phrenitides, non quicquid malignarum febrium est, nisi febris ardentior accesserit, vt de phrenitide praeclare monet HIPPOCRATES (f). Sub hoc genere causorum, vbi ventum fuerit ad morbi vigorem, incidit rigor aliquis in ipsa initia exacerbationis eius temporis grauissimae: sequitur aestus grauissimus, finiturque ista exacerbatio cum sudore profuso bonae notae, qui criseos perfectae initium est. Hi ergo rigores sunt inter alia signa nuncii sudorum. Ipse sic intellectum sese cupit HIPPOCRATES (g): *in causo si prehendat rigor, sudore finiri solet.* Haec etiamnum obseruantur in corporibus, alioquin integris, nullaque arcana visceris cuiusdam labe, praesertim lienis hepatisue, conflictatis, inprimis ante annum aetatis quinquagesimum: si quidem decursus morbi neque diaeta neque iniqua curatione perturbatus fuerit. Praeclare hic iterum AETIVS (h): *Sudoribus febrem solutum iri cognoscimus, si fuerit quam ardentissima, qualis est causus appellata febris. Si igitur crisis instat, atque ad rationem aliorum signorum aluus cohibetur, aut vrina; prospiciendus rigor est. Sin cohibeantur vtraque, praesentibus neque vomitus signis, neque haemorrhagiae, sudor necessaria multus erit. Inprimis, si delirarint nonnihil aegri sub incremento paroxysmi, & extrinsecus fiant calidiores, calidusque vapor ex corpore assurgat, qui ante non fuerat, vt in recens lotis fieri assolet:*

(e) *Aph. V. 58. de Crisi. 11. Coac. I. 88.*

(f) *De morbis II. 37.*

(g) *De Crisib. 11. Conf. memorabiles loci, Epid. I. 3. Epid. IV. 57. de morbis II. 37. de Crisib. 3. Quin de horroribus eiusmodi, Epid. III. 3. 12.*

(h) *L. V. 51.*

assolet: sin & pulsus magni sint, sublimesque & pleni, in diastolen magis acti, & quasi fluctuantes.

11) Οἱ πυκνὰ ἐφιδρῶντες καὶ ἐπιῤῥιγέοντες, ὀλέθριον. καὶ ἐπὶ τῇσι τελευτῇσι ἀναφαίνονται ἐμπύημα ἔχοντες, καὶ κοιλίας ταραχώδεας. Τὸ φρικῶδες καὶ τὸ δύσπνουν ἐν τοῖσι πόνοισι, σημεῖα φθινώδεα.

Qui crebro leuiterque sudant, & postea rigent, exitiosum: & circa finem vitae apparet, empyema illis esse, & aluos fluxas. Horrores & difficultas spirandi inter dolores, signa tabis.

Duos eiusdem argumenti locos, breui disiunctos interuallo, eadem opera exhibeo. Vltro patet, ad illos pertinere, qui arcana phthisi, neque pulmonali saltem, vndecunque tandem, an ἐμφύτῳ, an alia, latenter impliciti sunt. His crebri facilesque sudores sunt, initio leuiores, dum ad matutinos istos & colliquatiuos processerint. Vt magna phthisicorum pars ex hypochondriis simul laborat, vnde πτερυγώδεις istos simul *flatuosos* rectissime HIPPOCRATES dixit (i): ita his neque sudores desunt circa superiora saltem. Κοιλίαι ταραχώδεες sunt diarrhoeae istae tenesmodes, cum intestinorum etiam doloribus, qui vicinam mortem propius antecedunt. *Dolores* accipiendi, experientia teste, tum de doloribus, rheumaticorum instar, saltem fugitiuis, quin ipsos articulos inuadentibus: tum de doloribus pectoris inprimis, alias fugacibus & subacutis, alias grauatiuis & durabilioribus. Illos HIPPOCRATES (k) verissime appellat πλευρῶν κνήσεις, *cumque aluo fluxa, ingesta adhuc crudiora egerente, spirituque difficili, in phthisin finiri* ait. Τὸ ὀλέθριον hic non de pernici & acuto exitio, sed quod lento gradu tantisper obrepit, accipiendum. Empyemata HIPPOCRATI omnia dici interna vlcera, constat.

12) Τὰ ἐκ νώτου ῥίγεα, δυσφορώτερα.
Rigores ex dorso, difficiliores.

(i) *Epid. VI. 3.* (k) *Coac. III. 302.*

Illud experientia constat, algores internis de caussis genitos, si ex dorso lumbisque inceperint, non leuis momenti esse, vel ipsis in febribus intermittentibus, maximi vero, inacutis: tum spasmodicis quibusdam affectibus. Non tamen omnes omnino eiusmodi algores haec habere initia, vsus docet, vel exemplis phthisicorum, nisi cum propius in finem vitae acutius febrire coeperint. Id videtur HIPPOCRATES voluisse, hoc loco, parte postrema obscuro (l): *Rigores incipiunt, mulieribus quidem, magis a lumbis, & per dorsum, tumque ad caput: sed & viris magis a posticis, quam anticis. Horremus etiam exterioribus potius, vt cubitis, femoribus, quam interioribus corporis. Sed & cutis rarior. Indicant autem pili. A quibus autem aliis rigent, forsan vlceribus, incipiunt a vasis.* In hoc explicando, praesertim postremis verbis, ἀφ' ὧν δὲ ἄλλων ῥιγέουσιν, ἴσως ἑλκέων, ἄρχεται ἀπὸ τῶν ἀγγείων, cum operae multum consumsisset GALENVS (m): succenset tandem illis, qui eidem loco, in *Aphorismis* (n) & *secundo Epidemiorum* (o) iterum, at fine his verbis legendo, hic eadem adiecerint. Inde simul patet, antiquissimam esse lectionem ἀγγείων. Ne GALENICOS lacessamus manes: mutilum opinabimur isthoc iam tempore locum, aut, quod verosimilius est, & ipse alibi recte censet GALENVS, *sextum Epidemiorum* saltem aduersariorum instar, fugitiuis annotationibus conscriptum. Mens HIPPOCRATIS videtur fuisse, quod rigores frequentissime quidam sentiantur ex dorso procedere: at nonnunquam aliunde, atque ab interioribus. Ἀγγεῖα Graecis saepe dicuntur quaecunque conceptacula, vt est apud GELLIVM (p). Ipse alibi HIPPOCRATES (q): Ῥῖγος ἀπὸ τῆς κάτω κοιλίης, πῦρ ἀπὸ τῆς ἄνω μᾶλλον. Non desunt exempla rigoris ex interioribus grauissimi, in febribus quartanis, inque malignis & pestilentibus, quod est ῥῖγος illud ἀνεκθέρμαντον AEGINETAE (r) febrium hepialarum: legi-

(l) *Epid. VI. 3.*
(m) *Commenturii III. in VI. Epid.*
(n) *Aph. V. 69.*
(o) *Epid. II. 3. 111.*
(p) *L. 8. c. 10.*
(q) *Epid. VI. 5.*
(r) *Lib. II. 35.*

legimusque peste decumbentes nonnullos de acutissimo algore in imo ventre conquestos. Non attingo ARETAEI (s) ῥίγεα κακοήθεα ἀπὸ τῶν ἑλκέων; non AETII (t) φρικώδεα ἐξ ἑλκώδους κόπου, aliaque huius generis: sistendus pro instituti ratione calamus est.

CANDIDATVS PRAENOBILISSIMVS DOCTISSIMVSQVE

cuius indicendae disputationi honorum in medicina summorum aditiali haec erant destinanda, est

HILMARVS ADOLPHVS LVDOVICVS GIESECKEN.

Ipse de natalibus suis studiisque his exposuit:

Natus sum Boeckendorffii, praedio nobili ditionis Paderbornensis, Patre IOANNE GVNTHERO GIESECKEN, praedii huius tum temporis praefecto, nunc eodem munere Pyrmonti defungente: matre MARIA CATHARINA KNOPFF. Optimi parentes domestica institutione formatum *Corbachium* me miserunt. In illustri illo Gymnasio cum sex annos in literarum studiis transegissem, quarto ab hinc anno, *Illustri* BOEHMERO fasces tenente, inclytam hanc Georgiam Augustam accessi, nactus Praeceptores, quos pie semper venerabor, laude mea maiores: *Illustrem* RICHTERVM in pathologicis, semioticis, diaeteticis, historia medicinae, arteque concinnandi formulas; *Illustrem & Generosum* de HALLER in osteologia, anatomia, botanica, physiologia, medicina forensi & chirurgia; *Illustrem* SEGNERVM in mathesi pura, physica, chemiaque: denique *Excellentissimum* ROEDERERVM in theoria & praxi rei obstetricariae.

Sedulus & me audiuit, tradentem rem pharmaceuticam, obstetricariam, methodum medendi, materiam medicam, medicinam practicam, institutiones denique operasque chemicas. Examine perfunctus magna cum laude, pro cathedra, Praeside Collega Coniunctissimo, *Ill.* SEGNERO, defendet dissertationem inauguralem, *qua probatur, prophylaxin non esse peculiarem hygiaenes partem,* praemissa lectione cursoria, *de contagiis:* postea

(s) *De Cur. Acut. I. 8.* (t) *L. IV. 42.*

poſtea honoribus priuilegiisque Doctoris Medici, PRAESCITV ATQVE ASSENSV SPLENDIDISSIMI ACADMEIAE CANCELLARII, inſigniendus. Adſint beneuole, & ſolemnia illa condecorent praeſentia ſua longe honorificentiſſima, PROREGTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, PROCERES VRBIS SENATORII, DOCTORES, CIVES PERILLVSTRES GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI, nuncupatis viciſſim ſtudiis officiisque, ordo Medicus, me interprete, rogat.

P. P. in Acad. Georgia Auguſta, ſigillo Ordinis Medici, d. 15. Octob. 1752.

